

Benevolo Lectori S.

Nullum munus Reipublicæ afferre
vel majus vel melius possumus, quàm si
doceamus atq; erudiamus juventutem,
his præsertim moribus atq; temporibus, quibus
ita prolapsa est, ut omnium opibus frenanda
atq; coërcenda sit, uti graviter censuit M. Tul-
lius. Hujus autem informationis finis ac sco-
pus præcipuus esse debet pietas, sive vera veri
DEI agnitio. Quemadmodum enim inutilis est pie-
tas, si scientiæ discretionem careat, ita nulla est
scientia, si utilitatem pietatis non habeat, ut in
moralibus scribit Gregorius. Cæterum, ut fi-
nem ac scopum istum ritè assequi valeamus, ma-
gnâ profectò circumspèctione ac prudentiâ opus
fuerit. Si enim, secundum illud Aristotelis re-
sponsum, tum demum discipuli in quolibet scien-
tiarum genere quàm plurimum proficiunt,
quando tardiores graviter insequuntur prece-
dentes, & hi sequentes non morantur; utique
summè necessarium fuerit, ut in probehendis di-
scipulorum studiis, accuratum ingeniorum de-
lectum præceptor instituat, & haud secus, atq;
agricola terræ, quam exculturus est, naturam,
sic ipse uniuscujusque adolescentis indolem ac
ingenium probè cognoscat, neque promiscuè o-
mnibus eadem adhibeat.

Qua